



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

16. Idem De Energia Sev efficacia viuæ vocis, seu ministerij Euangelij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Talia de sanctis Polycarpus rettulit olim
Martyribus, sanctus martyr & ipse Dei.*

15. PAPIAS EIVSDEM DISCI-
pulus cap. 39. de certitudine & ve-
ritate doctrinae Apосто-
licae.

Neq; multa dicentibus, sed vera traden-
tibus auscultauimus, neq; his, qui ho-
minū praecepta, sed qui Domini man-
data memorabant, ab ipsa veritate suscepta.

Quam sit Apostolici praestans reuerentia verbi,

Sic Papias sancto rettulit ore pius:

Non quae multa fuit studium, sed dicere vera,

His habita à nobis non dubitata fides.

Qui praecepta Dei memorarunt sancta fideles,

Dogmata non hominum, quae fugienda pijs.

Dogmate Apostolico tantum est Ecclesia in orbe,

Non hominum inuentis, constituenda Dei.

16. IDEM DE ENERGIA SEV
efficacia viuae vocis, seu mini-
sterij Euangelij.

Non tantum mihi librorum lectiones
prodesse credebam, quantum viuae vo-
cis, praesentisq; magisterium.

Hæc

*Hæc retulit Papias sanctus de voce docentis,
 Quas habeat vires, quæ documenta Dei.
 Non mihi librorum tam prodest lectio sacra,
 Quàm me vox præsens viua alit atq; docet.*

17. DE REPENTINO ET HOR-
 rendo interitu Cerinthi hæretici, negan-
 tis diuinam in Christo naturam, & per-
 sonalem vtriusq; naturæ, diuinæ & huma-
 næ in eo, vnionem veram & hypostacti-
 cam, qui vixit tempore Ioannis E-
 uangelistæ sub Cæsare Traiano,
 Anno Christi 100. Euseb.
 lib. 4. cap. 14.

*Accidit vt calidas Ephesi loturus in vrbe
 Sanctus Ioannes ingrederetur aquas:
 Inuenit hic vnà Cerinthum fortè sedentem,
 Iactantem in Gnatum verba nefanda Dei.
 Nam patris aterni λόγος esse negabat Iësum,
 Vnitum nostra fœdere carne nouo.
 Sed specie Christum cælo venisse columba,
 Est vbi Iordanis tinctus Iësus aquis.
 Atq; grauem rursus mortem cum ferret Iësus,
 In cæli Christum mox rediisse domos.
 Et Christi regnum Solymæ fore mille per annos,
 Pluraq; blasphemio protulit ore docens.
 Quem cum diuinus conspexit Apostolus, inquit,
 Hinc socij, hinc celeres, tollite quisq; pedem.*